

**Dissertatio medica de aetatibus vitae humanae et mutationibus in iis contingentibus ... / [Johann Melchior Zentgrav].**

**Contributors**

Zentgrav, Johann Melchior.  
Salzmann, Johann, 1679-1738.  
Université de Strasbourg.

**Publication/Creation**

Argentorati : Literis Danielis Maagii, 1715]

**Persistent URL**

<https://wellcomecollection.org/works/e96nnbg2>

**License and attribution**

This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.



Wellcome Collection  
183 Euston Road  
London NW1 2BE UK  
T +44 (0)20 7611 8722  
E [library@wellcomecollection.org](mailto:library@wellcomecollection.org)  
<https://wellcomecollection.org>

J. J.

DISSERTATIO MEDICA  
 DE  
 ÆTATIBVS VITÆ  
 HVMANÆ ET  
 MVTATIONIBVS  
 In iis contingentibus.

<sup>Quam</sup>

*Sub auspiciis Divini Numinis,*  
 PRÆSIDE  
 DN. JOHANNE SALTZ-  
 MANNO,  
 Med. D. & Anat. Profess. Publ.  
 Capit. Thom. Canon.

*Patrono atque Praeceptore suo filiali obse-  
 quio ad aras usque colendo,*

In Alma Argentoratensium Vniversitate  
 SOLENNI Philiatrorum Examini  
 subjiciet

JOHANNES MELCHIOR ZENTGRAVIUS,

*Argent.*

*Ad d. 29. Mens. August. MDCC XV. H. L. Q. C.*

---

ARGENTORATI, Literis DANIELIS MAAGIL

*GRATIOSIS*  
LIBERALITATIS  
**SCHENCK BECHE-**  
**RIANÆ**  
**DNN. PRÆFECTIS,**  
**VIRIS**

NOBILITATE GENERIS, MVNERVM  
AMPLITUDINE, SPLENDORE MERITO-  
RVM, MAXIME REVERENDA DI-  
GNITATE, CONSILIORVM DEXTERITATE,  
MEDENDI EXPERIENTIA, RERVMQVE  
GERENDARVM PRUDENTIA  
EXCELLENTISSIMIS,

*DNN. Mæcenatibus & Patronis suis perpetuo  
obsequii cultu nunquam non devenerandis,*

Primitias hasce Medicas

ob

Insignia nuper in se collata

Beneficia

in

Grati animi Symbolum

Ulterioremque sui commendationem

Devota, qua decet, submissione

consecrat

TANTORVM NOMINVM

*Devinctissimus Cultor,*

**JOHANNES MELCHIOR ZENTGRAVIUS, Arg.**  
**Auctor & Respond.**




# Benevolo Lectori

## S. P. D.

### *Exercitii Præses.*

Um Dissertationem hanc Academicam publicæ luci exponit certissimus ejus Auctor, DN. JOHANNES MELCHIOR ZENTGRAVIVS, Argentinensis, non possum, quin hos Ipsius conatus magnopere laudem, & simul Ipsum Tuæ commendem Benevolentiæ. Id enim agit eximius plane adolescens, ut egregiorum, quos in Studio Medico hactenus fecit, progressuum publicum aliquod specimen edat. Proinde tale sibi argumentum selegit, quod totam hominis vitam perlustrans insignem in Theoria pariter ac Praxi usum haberet. Nempe quid singulæ ætates ferant, quasve subeant mutationes, quid prima promittat, quid virilis præstet, & in quibus ultima deficiat. Cuilibet legenti facile persuadebit hic ingenii fœtus, quantum adoleverit, & qualia brevi temporis spatio incrementa ceperit Ejus in rebus Medicis scientia, quæ, uti Plautus de quavis Sapientia loqui.

loquitur, non etate, nec annis, sed ingenio, industria & assiduitate acquiritur. Ab eo quippe tempore, quo in Scholis nostris versatus est, omnia seduli Philiatri munia adeo adimplavit, ut sive felices animi dotes, sive earum culturam descendique ardorem spectes, inferiores admodum multos, paucos sibi pares numeraret. Neque opus erat, illustribus Majorum apud nos olim Clarissimorum exemplis, SEBIZIORVM puta, quorum manes venerari par est, ad avita artis Medicæ decora Eum incitare, utpote qui sponte sua nullo non tempore ad præclara quævis grassabatur. Quibus cum suavissimo connubio accederet singularis morum venustas atque modestia, factum hinc est, ut tum Bonorum omnium, tum in primis Præceptorum suorum amorem sibi dudum conciliarit. Et, ne quid dissimulem, ego, quem arctum cognitionis vinculum, magis vero haec Ejus indoles Ipsi junxit, teneriore semper illum affectu complexus sum. Quæ cum ita se habeant, nullus dubito, quin scriptum hoc suum docto calamo exaratum, felici cum successu omniumque applausu sit defensurus. Et si porro, uti certissima me spes alit, eo. quo hactenus incessit tramite, iisdemque passibus perrexerit, supra laudata Proavorum vestigia strenue premendo, haud vane auguror, fore, ut, quamvis non nomine, eruditione tamen atque scientia Medica Illos aliquando nobis restituat, & hac ratione in eximium Apollineæ artis decus succrescat. Quod ut fiat, pares, quos Isti attigerunt, annos, id est, Nestoreos, firmamque corporis valetudinem ex animo Ipsi appreccamur.



## Proœmium.

**N**eſſabilem atque immensam DEI Omnipotentiam, tanta rerum in ſumma perfectione creatarum quantitas, earumque, praesertim curioſae, mutationes quæ, arguere videntur. Omnia vicissitudinis plena deprehendimus; quantas non periodicae Siderum revolutiones, indeque pendentes annorum conversiones mutationesque aëris anniversariae, in toto terrarum Orbe ubique pariunt metamorphoses? attamen in nulla creaturearum cernitur magis iste vicissitudinis vigor quam in homine, qui animantibus, uti perfectione superior, mutationum proin, si non evidenterum ſaltem notabiliorum determinato tempore ſe mutuo excipientium numero, reliquis viventibus praेire ſolet. Nam periculis enim mutationibus exposita non eſt Pueritiae aque ac Infantiæ imbecillitas? quantum e contrario non eſt Juvenilis & Virilis corporis robur? quantus vero non virium corporis pariter animique ſuccedens in Senectute lapsus? Quin & ipsa Anima rationalis pro organorum ministerio & conditione in operando maxime adſtricta eſt temporis, tametsi in ſpectata ſit aetatis. Mutation-

cationum harum intuitu vita nostra in varias Ætates dirimitur, quarum Theoria quoniam magna considerationis in Medicorum Scholis esse solet, placuit mihi studiorum meorum profectus in hac materia experiri, ea fiducia, fore ut si pro tyronum more minus accurati quid mihi exciderit, B. L. pro consueta humanitate benevolam mente & ingenuis oculis omne istud aspicere non dedignetur.

## C A P. I.

De

## Ætatis in genere.

§. I.

Vita humana  
comparatio  
cum planta-  
rum vita.

**V**Ita hominum haud absimilis est vitæ plantarum, quæ dum e sinu matris progerminant, *Infantia* teneritudinem non inepte repræsentant; usque dum sparsis undique ramis fibrisque aliquatenus foliodescentibus *Pueritia* insequatur, quæ prodeuntibus in summitate plantæ florum rudimentis tanquam *Pubertatis* signis terminari solet, quibus diductis panduntur flores, quæ formosissima plantarum ætas vivis quasi coloribus ipsum *Adolescentia* florem depingere videtur. Floribus decidentibus protuberant capsulæ seminales, miram fœtuum ubertatem in sinu suo condentes, quæ *Juventutis* fœcunditatem, maturatis dein fructibus, *Virorum* insuper ad juvandam Remp. maturitatem egregie sistere solent; procedente tempore dum fibræ aridiores factæ rigent, canalesque arctantur, invalescente subinde marcore folia primùm, mox extrema ramorum, tandemque quicquid restat plantæ, sub *tabida* istâ *Senectute* consumitur. Huic rerum exitui immortale antehac humanum genus neutquam fuisset subjectum, nisi Divina justitia mortem, indomitæ hominum ad peccandum libidini pœnam, proh dolor! apprime convenientem, nobis intulisset, nostramque vitam teste Job. 14. §. 8. certis limitibus circumscriptisset, qui memorandas vitæ humanæ ætates constituere solent,

§. 2.

§. 2. Ipsa Ætatum vox deducta videtur à Græcorum *Etymologia.*  
voce ἔτος, unde Ævum, quod præter alia vitam, ejusque cer-  
tum spatiū designat, ab Ævo vero Ævitas, tandemque re-  
jecta syllaba media Ætas orta putatur. Sumitur autem Æta-  
tis nomen modo pro mensura temporis, unde ætate hujus vel  
illius magnæ res gestæ. Modo pro mundi ætatibus seu epos-  
chis. Modo pro spatiō centum annorum seu seculo. Mo-  
do pro hujus parte aliqua. Modo pro tota hominis vita, quæ  
significatio συνεκδοχικῶς omnes ætates in se comprehendit; &  
deniq; pro certo vitæ spatio, quæ significatio nostri fori est, &  
Græcis ηλικία dicitur. Hinc Ætates definimus, quod sint cer-  
ta vitæ curricula, in quibus hominis constitutio juxta cor-  
poris animique vires humorumque temperiem manifeste ex  
se suaque natura immutata deprehenditur. Habent hæ mu-  
tationes locum non solùm in homine, sed & in brutis, quin  
imo & in plantis.

§. 3. Genus proximum sunt certa vitæ curricula; quæ *Genus proxi-*  
tamen certitudo non juxta ἀνείσθια philosophicam, sed ὡς ēτη *mum.*  
τὸ πόλευ intelligenda. Ætates etenim, inquit Galen. L. 6. de *Ætates certe*  
*etnend. San. c. 2. exquisito annorum numero alligari nequeunt,* *annorum nu-*  
sed duntaxat ἐν πλάτη, & uti plurimum res evenire solet. Et  
enim pro diversitate naturæ & temperamenti alia semper alia-  
que periodo quælibet vitæ pars circumscribitur; qui nam-  
que activioris sunt indolis, & temperamenti calidioris, ii tem-  
porius, qui vero seroso-frigido hebetique temperamento in-  
structi, Natutam hoc in passu novercam habuere, ii serius an-  
no circiter 18vo pubescere solent. Ipsæ namque ætates non ex  
annis, sed virium robore ac vivacitate, reliquisque accidenti-  
bus æstimandæ sunt.

§. 4. Sistimus itaque in præsenti ordinem illum, quo *Ætates certæ*  
Natura sibi relicta ordinarie & ut plurimum mutationes cer-  
ta ætatum curricula determinantes moliri solet. Fit istud  
teste experientia methodo atque annorum periodis exquisite  
sibi mutuo proportionatis, adeo ut qui Pueritiæ, Pubertatis &c.  
mutationes statu & consueto alias tempore persentiscunt, re-  
liquas quoque mutationes consueto ordine atque serie subi-  
re observentur. Qui vero matutius priores decurrunt ætates,

reliquarum periodos brevitate præcedaneis proportionatas naturos, minusq; longævos futuros esse, vel in vulgus notum est; infantes quippe qui præmaturo judicio dotati sunt, Kinder die überflug sind quibusq; tempotius prodeunt Pubertatis signa &c; minus durabile ingenium vitæque robur habere, præter innumeræ alia eruditissimorum quorundam præmatura fata non inepte confirmare videntur. Stupidiotes vero, phlegmatici, & qui hebetioris indolis, ii ob minorem Naturæ vivacitatem, & serius experientur mutationes hasce, & sub longioribus periodis serius quoque mortis suæ fata subire solent; quasi Divina Sapientia subjectis ejusmodi, uti ita dicam ἀλέγοις, & Sanitatis robore, vitæque longevitate, quicquid quoad rationis usum iniqua iis Natura ademerit, supplere voluerit. Idem quoque mysterium cernitur in Bratis, quæ etiamsi quoad vigorē sanguinis, robur viscerum, viriumque constantiam infirmum humanum genus quandoque maxime supererent, minusque homine ægoterent, ob memoratam tamen periodorum brevitatem citius ultimum vitæ terminum attingunt. Plantæ denique quo citius adolescent, & ad vigorē deveniunt, eo citius quoque marcescunt; quo diutius vero ἀκμὴ non attingunt, usque dum pansi undique ramis procera arbor & fertilitate sua superbire, umbraque calore solis torrefactos humectando reficere queat, eo diutius & virens & vivax esse solet.

*Divisio Aetatum*

*Generalis.*

*Specialis.*

§. 5. Jam quod spectat Divisionem ætatum, modo plures modo pauciores formarunt auctores, prout specialiorem aut generaliorem divisionem sistere in animo habuere. Generalis divisio, omni jure admittenda, est Galen. L. 2. de tempor. c. 2. in παιδία, ἀκμὴ & γῆρας, Statum Incrementi, Vigoris & Decrementi. Hæc humanæ vitæ triplicitas ab Astrologis ita vocata, sibi quoad durationem æqualis censetur, ut nimis tot sint anni incrementi, tot Vigoris, quot decrementi; unde si cuivis statui tribueris annos circiter 25. acquires vitæ nostræ terminum, quem Proph. David in S. Literis exhibet, medium scil. inter 70. & 80. annos tempus; qui tamen terminus dispensationi Divinæ totus quantus subiectus est, nec ita stricte ad unicum annum, sed ad totum denarium octavum ductus

Davi-

Davidis restringendus est; etenim cum statuendum mihi aliquid sit, terminum maxime probabilem pro exemplo solummodo sistere volui, cuilibet interim liberrimam sentiendi facultatem, in re quæ non de fide est, relinquens. Specialius interim ætatum, singularumque periodorum schema sistere, inter tot litigantium Autorum opiniones jam majoris ponderis res est; **Com-** *Denarius nro*  
**munissima in vulgo nota est scala illa, quæ vulgo Decempeda merus.  
 audit, quoniam denario numero adstricta deprehenditur, unde ~~πολυθράντος~~ istud zehen Jahr ein Kind / zwanzig Jahr ein Jüngling / dreißig Jahr ein Mann &c. quæ tamen ætatum divisio, quoniam omni experientiæ refragatur, nullum meretur applausum.**

§. 6. Qui interim singula vitæ lustra exactius perpendunt, septenarium numerum aliis quoque in rebus sacrum, in denarii locum adoptant. Antesignanus horum est Divinus Senex, qui in Lib. de ætat. in septenario numero ætatem hominis totam contineri afferit; (unde & nonnulli ætates vocarunt hebdomas) Etenim septenarium numerum in motibus usui notabiliori dicatis naturæ maxime solennem esse, egregie patet tum ex ipso fluore menstruo singulis

4. septimanis repullulante, tum ex ipsis motibus Criticis morbi solutioni destinatis. In morbis namque acutis constanter observamus, Naturam morborum medicatricem, ni in opere suo impedita fuerit, septimo quovis die, usque dum plenarie debellatus fuerit hostis, *Cries finit uspt. septimo dñe.*

Cries moliri; præparata antea reliquis diebus materia morbifica, cuius indolem atque obsequium tempore semicritico 4to circiter die examinat; quo tempore & insolitus in corpore orgasmus sentitur, à quo perspicaciores nonnulli non immerito subsecutæ Criseos successum ominari solent; quamobrem in peracuteis, ubi malignitas materiæ celerem sui subjugationem posse scit, suspenso hocce tentamine Natura periodo semiseptenaria *In peracuteis semiseptimo dñe.*

Cries moliri necesse habet. Et non solum in p. nat. sed potissimum naturali statu viget hic naturæ ordo, & quidem à primis Conceptionis diebus. Sic 3to aut potius 3to cum di midio die ovulum per tubam Fallopianam in uterus devolvi, septimoque jam punctum Saliens in conspectum venire

dicitur ; porro ter septima hebdomade infans se mouere solet, quater septima vero omni ex parte perfectus, & sexies septima ad exitum paratus existit. Quanta interim exactitudine Natura , edito in lucem homine , reliquas mutationes ad septenarii normam suscipere soleat, è sequentibus patebit.

*Quos Ætates  
numeranda.*

*Ætatum Li-  
mijus.*

§. 7. Quare nullus dubito, quin & nos septenaria periodo, præeunte Naturâ, Ætates vitæ humanæ simus disposituri, quarû septem vulgò numerantur, quæ sunt Infantia, Pueritia, Adolescentia; Juventus, Virile robur, Consistens ætas & Senectus. Quod si lubet Adolescentiam in annos Pubertatis & Adolescentiam proprie talem, Senectutem verò in Crudam, maturam & decrepitam dirimere, decem exsurgent Ætatis species. Infantia ætatum omnium prima, primum quoque explet septenarium; clauditur enim anno Nativitatis septimo, quo tempore dentes excidunt, noviq; in priorum locum progerminant. Sequitur post Pueritia, quæ ad 14. annum per septenarium secundum protenditur; hoc etenim anno præterlapso ingruunt Pubertatis signa, vox immutatur, pili erumpunt, semen in testibus secernitur in maribus, in fœminis vero menses profluunt, mamæ cum titillatione protuberare incipiunt, indiesque energia ad concipiendum crescere solet; ubivis ferè viget insignis ille ad fœrem pruritus; absolvuntur hæc intra semiseptennium, anno nimirum 17<sup>mo</sup> cum dimidio, quo termino præterlapso incipit Adolescentia vera, quæ septenaria periodo absoluta, una cum fine incrementi in longitudinem finem suum assequitur, anno nimirūm 24<sup>to</sup> cum dimidio. Ingruit tunc Juventus, quando cessante in statu augmento, superflua nutritio in habitum corporis partiumque crassitiem, speciatim vero ossium majorem firmitudinem impeditur; durat per septenarium cum dimidio, & extenditur ad sextum septenarium, quo tempore Robur Virile sese sistit, Juvenilis fervor mitescit, corporis insuper animique vires debitam ἀκμὴν attingunt. Excipit hanc Ætatem illa, quæ vocatur Consistens, quando non amplius augmentur vires, sed robur hactenus perceptum nude continuatur; durat hic status per septenarium septimum ad annum circiter 49; notabilis namque tunc ingruit illa corporis παρακμὴ, ut in sexu sequiori non sine magna mo-

motuum sanguinis turbatione, naturalia non amplius succedant, comite perpetua sterilitate, & successivo corporis ingruente decremento. Septimo namque septenario præterlapsa vita nostra jam fragilis fieri, senectutisque fores ingredi solet; & quoniam septenario octavo incommoda tolerabilia adhuc esse solent, tempus istud Senectus viridis vocatur; quam sequitur Senectus matura, qua senilia incommoda presso pede ingruere solent, comprehendens septenarium nonum, quo completo, jam omnia vacillare, vigorque animi pariter ac corporis admodum remittere solet, Ætas hinc decrepita dicta, qua consummata ferme, sua animi inquietudine, corporis valetudine marasmode, morbidaque debilitate imminentis Mortis naturalis luculentum ferre solent testimonium. Orditur hæc ultima ab anno 63. & clauditur cum fine Terminus vii.  
16. vitæ, qui solet ordinarie esse annus 70. *ultra quem*, uti Divinus Vates loquitur, *nihil supereft, quam dolor & miseria*; paucissimi enim ad octogesimum annum, ob hodiernæ ætatis luxum molleque vitæ genus pervenire solent.

## CAP. II.

### De Ætate Crescente.

#### §. I.

**V**Ocatur præsens hæc Ætas, Ætas prima, quoniam primum vitæ humanæ curriculum ætate sua complectitur. Græcis *αὐγήστης*, quoniam continet statum hominis incrementi, quo homo sibi soli vivere solet, etenim ob animi immaturitatem, qua puerilia tractantes, ad seria animum applicare nequeunt, à Galen. L. 2. de temp. *παιδία* nuncupari solet. Extenditur à prima Nativitatis hora (de fœtus namque uteri tenebris adhuc inclusi vita & ætatibus h. l. nobis minime sermo est) ad annum circiter vicesimum quintum; quo tempore homo debitam statutam nactus in latitudinem, ut proportionata inde emergat figura, augetur, quo homo cum animi simul excellentia, corporis quoque venustate reliqua animantia superet. Continet sub se Infantiam, Pueritiam, Adolescentiam,

*Synonym.*

*Limises.*

§. 2

*Infantie Etiologia.*

*Vita nostra  
miseria post  
nativitatem.*

§. 2. INFANTIÆ nomen à nonnullis inde derivatur, quod in hac ætate constituti fari nequeant, saltem maximo illius tempore ad aliquid articulate & apposite proferendum incapaces censeantur. Germ. vocatur die unmündige Kindheit. Ejus Synonyma congescit Pollux Onom. Segm. 8. pag. 153. Omnium innocentissima, & primis præsertim temporibus impotentissima est hæc Ætas, luculentissimum sane miseriarum, quibus nos miseri mortales merito plectimur, nec non imperfectionis nostræ documentum. Bruta animalia vix exclusa quam firma, vivacia, & ad munia obeunda habilia non sunt: solus homo horum omnium Dominus tanto vitæ periculo prodit; vix ex hoc emersus, tanto confestim miseriarum agmini, tot imbecillitatibus subjectus est. Pullus recenter reclusus, quanta non alacritate hinc inde fertur, pipiendo que suam testatur lætitiam; pollent statim bruta scientia se ab injuriis externis vindicandi, pericula imminentia evitandi, escam capiendi &c. At solus homo tam flebili facie, vultu adeo lamentabili prodit, quo scunque intuetur in sui commiserationem rapiens. Jacet in cunis inermis, nudus, omnibus expositus periculis; nulla mala amoliri valet; absque providentia Divina & Angelorum custodia misera profecto creatura. Vivit interim, sed primo post Nativitatem tempore ad sensum vix vitam plantæ superans; tenerima etenim membra ob summam fibrarum flacciditatem non sine maximo cum dolore & subsequente statim delassatione motus subire valent; omnis hinc potentia locomotiva ad tempus ferriatur, sensuum mira adest hebetudo, oculos præ infirmitate aperire ferme nequeunt, loquela deficit, omniumque quæ geruntur, quin & sui ipsius ignarus esse solet; ut adeo infans in ejusmodi statu constitutus, merito superbos & magnanimos ad humiliationem, submissamque erga Divinum Numen Venerationem disponere possit.

*Infantum ali-  
eliones aliquot post par-  
tem diebus.*

§. 3. Paucis verò à Nativitate diebus præterlapsis universum hocce mundi lumen, variaque hinc inde objecta plenius aspicere tentat. Quam curiosæ ideæ in phantasia, perverisque reflexiones in immaturo infantis ullius rei observatione nondum firmato intellectu, inde exsurgant, facile conjectura-

eturare licet. *V. Petr. Regis Syst. Philos. Lib. 8. part. 1. c. 10. 22.*  
 Crescit tamen postmodum successive naturæ vigor, quæ in  
 exornanda perficiendaque machina vigilem atque expeditam  
 admodum se ostendit, adeo ut vix clapsis 7. mensibus arduum  
 decernat primùm, mox moliatur opus, quando dentium, qui in  
 alveolis hactenus delituerant eruptionem tentat. Fit istud  
 sub molestissimis infantum incommodis, ut quandoque gravis-  
 sime ægrotent, saltem solito sint morosiores, non pauci vero  
 qui indolis sunt sensibilioris sub ipsis motibus convulsivis è  
 vita discedant; sic juxta *Hippocr. III. Aph. 25. Adventante*  
*dentitionis tempore sentitur gingivarum pruritus, febres, con-*  
*vulsiones, alvi profluvia.* Periculis hisce naturaliter exempta  
 videntur animalia bruta, quæ vix non omnia maxillam nunc  
 utramq; nunc unicum nempe inferiorem tantum dentatum in  
 utero jam obtinere solent. Nec infrequens adeo est, homines  
 dentibus quibusdam instructos in lucem edi. In iis conspi-  
 cuum potissimum est privilegium hocce, qui singulari animi  
 vivacitate prædicti, fortiorum vim formaticem in utero ha-  
 buere, quæ majori virtute pensum absolvens, extraordinario  
 insuper labore dentum quorundam protrusionem molitur.  
 Luculentum hujus rei testimonium ceruit in iis, qui ex He-  
 roum familia geniti; *Rege nimirum Nostro Christianissimo*, qui  
 corporis pariter animique fortitudine nulli secundus dentatus  
 prodiit; *M. Curio & Papyrio Ducibus Clariss. d. q. Plin. Hist. Nat.*  
*L. 7. c. 16. Arsamene Persa Vid. Antigon. de Mirab.* sic quoq; Va-  
 leriā Romæ Regum temporibus inauspicato casu dentibus  
 natam tradit *Plin. l. c. c. 17. conf. Hild. Ep. 68. Schenk. L. 1.*  
*Obs. 380. 407. Rhod. Cent. I. Obs. 92.* Rarissimum est infan-  
 tem omnibus dentibus instructum edi, uti *Joh. Rossus Warovic.*  
*de Richardo II. Engl. Rege tradit. conf. Gockelius Eph. N. C.*  
*D. II. A. 4. Observ. 28.* Filiolæ tertio à nativitate die den-  
 tientis exemplum *V. Eph. N. C. I. 8. 47.* Serius quoque  
 plus solito differri solet dentitionis tempus. *V. Eph. N.*  
*C. I. 9. & 10. 112. & II. 9. 52. & 212.* Curiosum est quod  
 in senibus quandoque vivacioribus observatur, ut simi-  
 rum redeunte quasi pristino robore juvenili rursus den-  
 tiant. Conf. *Gassend. S. III. Membr. post. l. 13. cap. 2. pag. 592.*

*Dentitionis  
tempus.*

*Periculo hoc  
exempta ani-  
malia bruta.*

*Homines in-  
terdum den-  
tati prodeunt.*

*Inusitatæ den-  
titionis tempo-  
ra.*

Dentitionis  
tempus quo-  
modo divi-  
natur.

*Eph. N.C. I. 9. & 10. Obs. 134. & 171. II. 3. Obs. 15. II. 4. Obs. 28.* Ipsum dentitionis tempus subdividitur in tempus germinationis, quod vocatur ὁδοξισμός, quo tument, rubent, inflammantur & magis dolent gingivæ; & eruptionis Græc. ὀδοντοφυΐα, quo symptomata admodum exasperantur, donec primores sive incisores prodierint; novos vero labores, nova pericula procreat caninorum, maximorum vero symptomatum, & frequenter motuum convultivorum Auctor, molarium eruptio esse solet; quo opere perpetrato Symptomata subito alleviantur, vegetioresque & ad sustentanda mala firmiores evadunt infantes.

*Loquitantur.*

§. 4. Dentitione biennio circiter post nat. itatem in totum peracta, alios natura suscipit labores; unde firmatis subinde fibris, crescenteque indies robore, necessarium ante omnia dicit, organa loquela dicata ad aliqualem perfectiōrem deducendi, quo animi sui sensa aliis communicare queat infans. Fit istud primo imperfecte admodum, balbutiendo propter imbecillitatem, ut ait Aristoteles S. II. Probl. 30. rectius propter humidam fibrarum flacciditatem, elasticitatisque defecitum muscularum linguae, unde literam R. omnium diutissime fari nequeunt, quoniam maximum linguae robur postulat, ut aër valide ad palatum dentes superiores versus reperiatur. Modum interim qua ratione infantes linguam addiscunt, rerumq; scientiam sibi successive comparant, ingeniose tradit Petr. Regis. Phil. L. 8. P. 1. cap. 9. Firmatis hoc ipso membris, gressus tentare & ad ambulandum sese accommودare studet tenera hæc ætas. Fit quidem istud ob delicatam ossium structuram, quæ infantilis corpusculi molem non sine dolore aliquali sustinere valet, primo ægre admodum, ut non nisi corpore fere undique suffulto, ratos pariter & caros gressus instaurant; mox ad actum habiliores redditi & consuetudine ulterius confirmati, majori vigore & confidentia in libero aëre obambulare tentant; quod quidem ab initio, quoniam ad detinendam in centro gravitatis machiam corporream adhuc dum minus periti esse solent, sine crebra vacillatione, manuumque hinc inde extensione fieri nequit, usque dum habiliores facti, anno circiter ætatis quarto perfectos motus instituere queant. Dum interim structura corporis

*Ambulare  
tentant.*

ris æqualiter perficitur, ipsum quoque cranium magis magisque solidescit, Suturæ quæ laxius antea sibi mutuò cohærebant, arctius coëunt, firmiusque sibimetipsis incipiunt impli- cari; præprimis vero hiatus ille triangularis, fontanella vulgo, clauditur, ligamenta membranacea antea tenaciora sunt, pluresque cartilagines in ossa indurantur; quæ omnia copiosioris nutritionis genuina solent esse consectaria.

§. 5. Nulla itaque operatio in toto corpore viget magis quam nutritionis actus; etenim tribus aut quatuor primis ætatis annis pusillum antea fœtus corpusculum in tantam ex crescere molem, ut *Aristot. L. 1. de Gener. An. c. 18.* Hominem quinquennem dimidium altitudinis, quam reliquo tempore consecuturus est, adeptum esse judicet, ut adeo homo si paucos solummodo annos proportionata energieia augm entaretur, in monstrosam & giganteam ex crescere molem. Cum autem copiosa nutritio copiosum exigat succum nutritum, gelatinosam quandam lympham, copiosiore consequenter indigent alimento juxta *Hippocr. I. Apb. 14.* Quare infantum plurimi solent esse adhuc *γαστρικοί.* Ob lymphæ itaque in MSea abundantiam, sanguis copioso sero dilutus tenuis ad modum & fluxilis evadit, simulque à gelatinoso-viscidis particulis partes pariter Sulphureæ in sanguine cumulantur, quæ Balsami vitalis vices merito gerunt. Fibræ præterea sunt laxæ admodum, habitus corporis pariter laxus esse solet, porosus, tener, mollis, perspirabilis, manui tangentis calorem blandum uvidumque offerens. Sanguis itaque per patentiora fibra rum oscula expedite movetur, circulatio liberrime succedit, nullusque obstructionis metus principio vitali incutitur, pulsusque moderate & æqualiter, languide nihilominus se habet, motu namque vehementiori liquor gelatinoso-mucido-aquosus in porosam, facileque cedentem texturam vi incuneatur, infarctusque primum, mox stases inferret. Pollent itaque calore moderato admodum ob fibrarum elasticitatem vix attendendam, cuius renisu calor sanguinis mire intenderetur. Censentur ob memoratae infantes complexionis Phlegmatico-sanguineæ. Hinc in actibus moralibus servant quoque eandem animi tranquillitatem, suaves admodum sunt, Inclinationes morales.

*Nutritio ma-*  
*xime viget in*  
*infantibus.*

*Fibra patentes*

*Pulsus.*

*Calor mode-*  
*ratus.*

*Temperamen-*  
*tum.*

*Inclinationes*  
*morales.*

humani & delectabiles, erga Benefactores gratosi, offenditorum non ita memores, nec propositi tenaces, sed admodum tractabiles, teste *Syrac. cap. 30. vers. 12.* nullis fere de rebus solliciti; Imminente vero periculo de impotentia sua utique convicti, trepidant admodum, mox in maximas angustias, desperationem, tandemque motus convulsivos gravissimos conjiciuntur. Detestanda hinc est servarum libido, quando vel ad augendam tenellorum erga se confidentiam, vel exercendam petulantiam, de falso imminentibus periculis insano more fragile ejusmodi corpusculum exagitant, dum suis subinde subligaculis faciem oblarvantes & nescio quæ spectra Diabolica mentientes, subitaneo eosdem suffundunt terrore, vel crebro de terriculamentis & μορμολυκέσις (von den *Bußenmännern*) iisdem loquuntur; quo terrore in eorum animis firmato, non solum nimis meticulosi redundunt infantes, sed & crebras convulsiones aliaque mala gravissima per totum vitæ curriculum molestissima innocenter experiti solent. Amant risum, titillationem, delestantur dulcibus, gulæ admodum obtemperare cuticulamque curare norunt. Somnolenti sunt tum ob altam mentis securitatem, tum quo digestio eo melius succedat. Ob flaccidam vero humidamque nimis cerebri constitutionem sepultus fere adhuc est intellectus; Viget vero memoria, quæ in humido radicari dicitur, præsertim cum prima hæc ætas libera adhuc à curis, facile quicquid offertur & recipiat & retineat. Quare honestis nonnisi rebus imbui, & in Grammatices studio linguisque addiscendis exerceri debent. Clauditur hæc ætas, quando nimirum anno circiter ætatis septimo primores dentes excidere incipiunt, de quibus in pueritia.

*Animi Operationes.*

*Memoria vi-  
ges.*

*Duratio.*

*Pueritia.*

*Etymologia.*

*Synonymia.*

*Duratio.*

§. 6. PUERITIA, qua omnes operationes tum animi tum corporis manifestius progerminate solent, cum Vere, quo omnia reviviscunt, non inepte comparatur. Sortita est denominationem suam forsan à puritate, innocens enim hæc ætas imputæ libidinis inscia adhuc esse solet; Græcis vocatur οὐρανία παιδεύη ἡλικία. Conf. *Pollux Onom. S. 2. L. 2. c. 2. p. 156.* Germanis ob promptiorem linguae usum ein mündiges Kind. Durat per Septenarium secundum. In limine hujus ætatis

con-

contingere solet ea mutatio, quando nimirum dentes lacteos, *Dentium per-*  
*Germ. Milchzähn* (non à materia ac si e lacte fierent ita deno- *mutatio.*  
minatos; formati enim in utero gingivis teguntur, sed quod  
lactentibus erumpant) tanquam infirmiores amittunt, novos-  
que firmiores ac stabiliores acquirunt. Excidunt primo o-  
mnium incisores, post canini, & quandoque qui his proxi-  
miores sunt molares; reliquos namque posteriores fere semper  
immutabiles esse experientia compertum habemus. Fit au-  
tem hæc renovatio per modum quandam protrusionis, quan-  
do dentes sub lacteis delitescentes ab impetuoso sanguinis eo  
directi motu protruduntur, gingivæque à copia humorum  
emolliuntur, promotis sensim è pristina sede sua lacteis den-  
tibus, qui tandem ab inferioribus successive protumentibus  
ad gingivarum superficiem extra alveolos propulsi, vacillant,  
tumque vel sponte decidunt, vel minima opella evelluntur.  
Elabitur autem ex alveolis non totus dens cum sua radice,  
alias namque omnis regenerationis spes decollaret, sed so-  
lummodo corpus istud albicans foras prominens. Hoc permu-  
tationis, uti & dentitionis tempus quandoq; serius differtur ad  
ānum 13tum aut 14tum usq;. Conf. *Eustach. L. de dent. c. 29.* Non  
soli autem homini hæc dentium renovatio obtingere solet, sed  
videtur ea tum in jumentis, equo, mulo, asino (ubi de equorum  
dentitione notari meretur, quod non una vice totus pro-  
germinet dens, sed singulis annorum decursibus certa extru-  
datur sectio, à quarum numero equorum ætas hujus rei peri-  
tis determinata facilis est) tum in ruminantibus, ut bove, ove,  
capra, quæ herbis & frondibus vicitant; sed & pleris-  
que carnivoris, cani, leoni &c. suillo genere excepto, fami-  
liaris esse solet, quæ tamen mutatio in brutis non tamdiu ac  
in homine suspenditur; nam ut cum Gassendo loquar, *Boves*  
*bimi mutant*, asini tricesimo mense, ita ut deinceps pergant  
senis mensibus; equi sic incipiunt eodem tempore binos utri-  
que primores mutare, ut sequente anno totidem proximos col-  
lumellares dictos commutent; quinto anno invenire amittant hi-  
nos, qui renascuntur sexto, annoque tandem septimo omnes habe-  
ant, ipsos dein immutabiles.

*Brutis quoq;  
competit.*

§ 7. Ab infantia interim ad ulteriores annos devolu-

Fibrarum elas-  
ticitas crescit.  
Sanguis ma-  
gis subtilis-  
tur.

Temperamen-  
tum.

Habitus cor-  
poris.

Pulsus.

Mores.

Animi dotes.

ti, fibræ sensim solidiores magisque elasticæ redduntur, san-  
guinique transeunti majori virtute reluctantur; quare is in  
minora admodum devellitur & subtilisatur, cum motus intestini  
simulque caloris augmento; Confert huc multum agile pue-  
rorum vitæ genus, motus & exercitia, quæ fibras musculares  
egregie roborant. Fit itaque in ætate puerili transitus ex hu-  
midiori in calidius clima; unde major seri halituosi portio  
per laxam puerorum cutis structuram (unde pueri admodum  
transpirabiles) discutitur, particulæ salino - volatiles Sulphureæ  
exaltantur, mereque sanguineum subjugato phlegmate tem-  
peramentum induunt. Quare sanguis eorum est nec cras-  
sus nec fluxilis nimis, sed respectu craseos optimus, motus  
intestinus temperatissime viget; habitus corporis est succulen-  
tus, porosus, & ob sanguinis ad intimiora aditum facies ro-  
sea, florida, amabilis, membra rubentia ad tactum tenera &  
tepidæ. Quamobrem sanguis liberrime & expedite circula-  
tur, placida solum requiritur propulsio ad ipsius per fibras  
transitum, nullus hoc pacto obstructionis metus, nullum tur-  
bandæ sanguinis mixtioni periculum Principio Agenti incuti-  
tur. Unde & in actionibus moralibus sunt liberi & alacris  
animi, placidi, ad omnia faciles, hilares, securi, de nihilo solliciti,  
vegeti, vivaces, petulantes, blandi tamen & tractabiles, ob  
animi velut indifferentiam inconstantes; Somnolenti insuper  
sunt, otiosi, voluptuosí, in primis ratione gulæ, esuque dulci-  
um admodum delectantur. Ob intellectus vero immaturitatem,  
sunt simplices admodum, incauti, creduli, persuasi faciles,  
unde ad recipiendas in se quascunque virtutes & erudiendum  
sunt aptissimi, præsertim cum memoria adeo excellant. Extra-  
ordinaria interim divino ingenio pollentium puerorum exem-  
pla sistunt Act. Lips. 1683. M. Sept. 388. Freher. Theatr. Vir. Clar. P. I.  
1539. Sunt insuper ad iram quidem proclives, facile tamen rur-  
sus placabiles, verecundi item, ad officia proximique charita-  
tem proni, liberales, casti, humiles, candidi, aperti, loqua-  
ces, quarum virtutum intuitu Salvator noster posito in me-  
dio puero ad discipulos conversus dixit: *Ni efficiamini si-  
cunt parvulus iste, non introibitis regna cœlorum.* Hac cor-  
poris valetudine moribusque instructus esse solet homo usque  
ad

ad 14<sup>um</sup> ætatis annum, quo tempore Natura ordinarie de generis humani conservatione sollicita fieri, & pubertas ingruere solet.

§. 8. PUBERTATIS etymon perendum videtur à pube *Pubertatis* sive lanugine circa pubem & pudenda isto tempore efflore. *Etymologiae* scente. Græcis vocatur *σπένη*, German. *Mannbarkeit*. Avicennæ ætas pollutionis, à nocturnis pollutionibus, quas pu-*Synonymia* - beres facti experiri incipiunt. *Hippocr.* L. 6. epid. f. 4. eos vocat *πρώτης* s. *hirquitallos*. Extenduntur hujus ætatis limites *Termini* ad annum 17<sup>mum</sup> cum dimidio, qui sic comprehendunt semicriticum tempus. Variat autem admodum Pubertatis tem-*Pariabiles* pus; sic qui vividiorem nocti sunt temperiem, & in locis magis *sunt*. Meridionalibus degunt, maturius pubescunt. Sic *Mercur. in Aph.* *Hipp. p.m. 654.* mentionem facit pueri cuiusdam, qui deceñis nutricem compresserit, eamque imprægnaverit; qui vero e contrario tardioris & frigidioris sunt naturæ & in regionibus magis Septentrionem spectantibus habitant, aut ab alterius sexus consortio, illecebrisq; mundiremoti solitarie vivunt, & sub gravissimo laborum onere crudiorique diæta æquali semper tenore ingemiscunt, serius pubescunt, non exclusa interim speciali personarum Idiosyncrasia, de qua re plura curiosa exempla prostant in *Eph. N. C.* Legitimus tamen pubertatis terminus est annus ætatis 14<sup>tus</sup>, quem adhuc in maribus observare solent JCTi. conf. pr. *Inst. Just. Quib. mod. tut. fin. § l. 3.* *Cod. q. tut. v. cur. & e. des.* & ibid. *Gothofr. Not. Conf. Hopp. Exam. Instit. Imper. ad pr. Tit. 22. p. 178.* An vero fœminæ exactis 12. annis ordinario naturæ cursu sint viripotentes æstimandæ, inferius ad liquidum deducetur. Omnes autem mutationes unice spectant tum generandi tum concipiendi potentiam individuo conciliandam; id quod sine maxima tum animi tum corporis, organorum præsertim generationem spectantium, alteratione contingere nequit.

§. 9. Quare in sexu masculino, cui generandi potentiam *Mutationes in* comparare nititur natura, aucto sanguinis motu & calore, inusitatius antehac in toto corpore percipitur *org. smus*, singulare *sexu masculino*. corpori robur ubique accedit, fibræ motrices sunt validiores, lymphaque hinc inde madefaciens à caloris interni ardore dis-*cuti-*

*Vox hirsathy.* cutitur, interiorque tracheæ superficies exsiccatur; unde vox acuta antea in raucam, inæqualem convertitur, vocat hoc *Hippocr.* L. 6. *Epid.* S. 3. & *Arist.* L. 7. hist. An. c. 1. *πρωτίζειν* hircitare, eorum namque vox interruptim cum aliquali alperitate & siccescentia ad sonum serræ secantis fieri solet, metaphoræ ista ab hircorum caprariumque voce desumpta. Volum quidem nonnulli per τὸ πρωτίζειν indicari peculiare odo-  
ris genus hircum redolens, unde idem esse ac hirquitallire existimantes, puberes vocarunt hirquitallos; quæ tamen ex-  
plicatio inconvenienter sane *Aristoteli* tribuitur, uti ex L. 5.  
*Gen.* An. c. 7. colligere est. Etenim, inquit, cum semen ferri  
incipit, etiam vox mutatur, maxime in maribus: fœminis etiam  
sed obscurius, quod quidam πρωτίζειν vocant. *Conf. Gassend.*  
l. 1. p. 593. *Foës. Oecon. Hippocr.* 620. 621. Vox hæc in Pubertate  
caprizans procedente tempore sensim planior atque æqualior redditur; quando ad perfectionem deductis organis æquali-  
iterum placidoque magis motu sanguis propellitur, orgasmus  
remittit, calorque effusus hactenus mitescit, simulque eo ipso  
cum aliis partibus interior tracheæ superficies debito rursus  
modo humectatur, atque lubrica iterum redditur. In  
ipsa namque pubertate sanguinem inæqualiter movet, spe-  
ciatim impetuosius versus genitalia dirigi necesse est, quo  
constricti exsiccique hactenus testium canales amplientur,  
membroque plena ad exequendum actum perfectio ob-  
tingat; sicque hoc pacto generandi potentia individuo con-  
cilietur. Ingruunt hæc mutationes sub singulari voluptatis  
sensu; jam sancta puerorum simplicitas, castitas, sinceritas  
evanescunt, & tandem plane in iis sepulta delitescunt, nullum  
non nequitiæ genus adoptantibus. Semen etenim virile in va-  
sculosa testium substantia secretum, denique in penitissimos  
epididymidum ductus promotum, longaque via ista suba-  
ctum sane & defæcatum, tandemque per vasa deferentia in  
vesiculas seminales delatum, talem ætati huic, suorum affectu-  
um adeo impotenti, infert pruritum pariter atq; æstum, ut ægre  
admodum non sine tormentis, ni gratia Divina adjuta fuerit,  
in castitatis limitibus se contineat, quin actualiter æque  
ac mentaliter omnis generis phantasmatibus conscientiam  
gravis-

*Propensio ad  
seculera.*

gravissime turbet. Sub rapido isto sanguinis ad testes motu intenditur inibi transpiratio, partes memoratae copiosius su- dant, materiaque mucoso- olida & nidorosa, peculiarem semi- nis odorem referens, iis circumfusa cernitur, quæ cum genuina materia pilorum illic erumpentium esse soleat, velamentum istud, quo arcana naturæ teguntur, crescente simul subinde naturali pudore, indies magis expandi solet. Sub axillis pa- riter largior pilorum seges crescit ; reperitur enim pa- riter inibi uodor ejusmodi uliginosus, collecta quasi ob loci conditionem transpirationis materia, a qua odor ejusmodi hircinus, quem salaciiores marium fœmellarumque multæ cer- to spirare solent tempore, oritur. Et ne quid, quod ad matri- monialis vinculi felicitatem conferre quidpiam valeat, naturæ solertia prætermitteret, quo sexus sequior debita veneratione potiorem prosequeretur, primoque statim maris aspectu debitæ submissionis memor fieret, in facie certas gravitatis notas annis pubertatis, a quibus ad matrimoniale vinculum festinato pede aptiores reddimur, collocare voluit provida natura, barbam ni- mitum, quæ hisce annis lanuginem contrahere incipit, labi- um superius solum obsidens ; mox vero in mento ulterior pilorum seges propullulare, tandemque per genas undique sese diffundere, perfectionem vero suam clapsò circiter septen- nio quarto acquirere solet ; eo nimirum tempore, quo homo ad contrahendum matrimonium omni ex parte perfectus, de- bita auctoritate sexum sequiorem anteire debet. Notant curiosiores, nominatim *Riolan.* *Anthrop.* p. m. 587. ipsam bat- bam coitu augeri, & quo majorem quispiam obtineat habi- tudinem virilem, eo magis barbatum observari ; ut adeo ma- ris vis procreatrix ex ipsius facie certo respectu eluceat. Etenim cum calidioris naturæ homines promptiores sint ad actum ♀eum, & ob copiosiorem transpirationem largior ad pilorum proventum suggeratur materia, verissime concludi- tur, viros ampla spissaque barba dotatos probe quoque vasatos existere.

§. 10. In sexu vero fœmineo completo secundo septe- nario Natura unice conceptionem, subsequentemque foetus ex- clusionem meditatur. In multis equidem puellis non tamdiu

*Copiosius ad  
testes transpi-  
rant.  
Pilorum eru-  
ptio.*

*Barba;*

*An signum  
aptitudinis  
virilis.*

*Menstruæ eru-  
ptionis tem-  
pus variat.*

*Quodnam or-  
dinarium.*

*Mensum eru-  
ptio prima vi-  
ce dolorosa.*

*Ejus prodro-  
mi,*

*Ejus duratio.*

*Mammæ pro-  
exuberant.*

*Propensio ad  
Venerem.*

hoc Naturæ opus differtur, dum non raro anno 12mo perruptionem mensium molitur, id quod fit, partim quoniam citius adolescent, corpore earum rariori magisque expansili existente, partim quoniam inconstantioris, certo tempore se non adeo exquisite adstringentis animi esse solent. Exempla præcocis eruptionis menstruæ. *V. Schenk. L. 4. Obs. Med. 629. Obs. 1. 2. 114. Eph. N. C. passim.* Ordinarius attamen isque legitimus profusionis menstruæ terminus solet esse annus 14. Magnus igitur hisce annis orgasmus in sanguine sentitur, dum directo ejus motu ad vasa hypogastrica sanguis superfluus ad uterum & vaginam congeritur, quo per insolitas antehac vias exterminetur. Fit hoc ob minus expeditam viarum libertatem ægre, primaq; vice ut plurimum dolorose, sub maxima animi ob insolitæ hactenus rei præsentiam consternatione. Prodromi instantis fluoris solent esse præcedanea lassitudo, dolor dorsi & lumborum tensivo-gravativus, macies faciei atque cutis stricturna, quæ omnia à directione sanguinis versus uterum, motuque inde spastico in subsidium vocato dependere videntur. Quoties postmodum hic fluxus reiteratur, toties viæ ad actum hunc magis accommodantur, ipsaque natura consuetudine pariter roborata, conamen istud majori robore molitur; quare successive minuuntur molestiæ, ut tandem per multis tacite menses effluant. Reiteratur singulis 4. septimanis, duratque per 3. aut 4. dies; subsistit naturaliter in gravidis, dum facta conceptione superfluis humor ad sustentationem fœtus impenditur; hinc grandæva mulier ad gestandum pariter pariendumque inepta, pereunte hoc usu menstruis purgationibus exempta esse solet. Mammæ insuper, quæ visum hactenus apparente nonnisi papillula effugerant, jam sub singulari libidinis sensu in malorum figuram semiglobosam, (unde μῆλα Aristophani) successive attolluntur, quæ tumentes cum binas quasi referant sorores, Plauto sororiare dicuntur.

§. II. Sexus itaque fæmineus organis hisce, nutritiōnem fœtus primario spectantibus, instructus, dum suam inde ad actum conjugalem aptitudinem hariolatur, ornamentoque adeo specioso (decus namque præcipuum ferme collificant

cant fæmellæ in mammis debitæ magnitudinis , candoreque  
splendentibus ) se dotatum cernit , Cupidinis telis , Veneris-  
que incitamentis mire sauciari solet . Et nisi sanæ rationis ,  
legibusque Divinis & præceptis moralibus sat instructæ usus ,  
supremi Numinis benignitate ab hoc appetitu naturali fæmellas  
retraheret , cui quæso libidinis generi non forent participes ?  
quæ enim pudicitia castitatisque studiosissima hactenus erat  
virgo , nunc ex sua natura subito ad flagitia propendere incipit ,  
pristinaque animi integritas in famosam istam astutiam , qua  
ut plurimum negata meditantur , convertitur . Quin & quando-  
que à lympha in clitoride , ipsisqne vaginæ glandulis stabu-  
lante ad libidinem adeo proritantur , ut quandoque amore  
insaniant , cujus furoris uterini remedium optimum expleta  
voluntas esse solet . Conf. *Eph. N. C. III. I. p. 29. 30. I. IX.*

*Ad furorem  
usque.*

& X. pag. 113. Notant quoque *Ephem. N. C. III. I. pag. 27.* vir-  
gines subfuscas reliquis natura esse salaciiores . Tanta est  
proh dolor ! Naturæ humanæ post lapsum corruptio ; nolen-  
tes volentes quandoque rapimur ad mala , sicque Divinæ  
gratiæ indignos , æternæ , vero damnationis reos nos facimus .  
Voluit namque benigna mater natura , tegmine quodam na-  
turali sexum hunc castitatis atque continentia debitæ ad-  
monere , pudoreque teneriori profundius ipsis impresso , ad  
virtutis culmen firmius impellere . Barba tamen in fæmella-  
rum facie non solet prorumpere , quoniam non tam gravi-  
tatis quam amoris plenam faciem consequi necesse habent ;  
formositas enim , milleque ex ipsarum facie radiantes amo-  
ris ideæ , scintillæque Venereæ nonnisi maxime inde obfusca-  
rentur . Barbatas mulieres notant . *Eph. N. C. III. §. & 6. p.*  
*636. II. ss. p. 91. I. 9. & 10. p. 246.* Vetulis hinc , quibus interdi-  
dictus quasi amor , emortua omnia sunt , in signum ineptitudi-  
nis ad concipiendum , barba rugosam faciem non raro magis  
deformem reddere solet .

*Ob naturæ  
humanæ cor-  
ruptionem.*

*Barba non  
erumpit,*

*Nisi quando-  
que in vetu-  
lis.*

§. 12. ADOLESCENTIA ab adolescendo ita di-  
citur , quoniam illa ætate ad debitam devenimus sta-  
turam , corpusque exacta adolescentia ipsum quoque adole-  
scere definit . Græcis dicuntur adolescentes ἄγηβοι Con-  
fer . *Poll. On. S. II. pag. 157.* item ἔξερησι sive extra pu-

*Etymologia.*

*Synonymia.*

bertatem constituti (unde Latinorum, qui ex ephœbis egressi reliquere nuces) etenim qui annos Pubertatis agebant ἔφιβοι, mox vero futuri puberes μελλέφυβοι vocabantur. Hippocrati & Galeno dicuntur μετράχια. Germ. ein erwachsener Mensch / multis ein Knab / ein Jüngling. Orditur ab anno 17. cum dimidio & finitur elapsa periodo septenaria anno ætat. 24. & dimidio, eo nimis tempore, quo homo in longum excrescere desinit. Calore suo temperato, quo pollet, merito cum æstatis initio comparatur; hoc ut omnium anni temporum est amoenissimum, sic pariter Adolescentia omnium ætatum optima merito censenda; Grata propterea ætas vocata, superflua namque puerorum humilitas hac ætate est absumpta, calor vero non adeo mordax, ut in juvenibus; Habitus corporis strictior parumper, fibræ que magis elasticæ esse solent, unde sanguis per arctiores fibrum canales majori virtute transprimitur, sicque mire subtilisatur, calor intenditur, magisque Sulphureo-volatile fieri solet. Censentur hinc adolescentes complexionis sanguineo-Cholericae; pulsus, quoniam ipsius impetus viarum angustiis respondere debet, est magnus, & ob summam sanguinis mobilitatem vehemens. Cum itaque naturæ in actu vitali summa concessa sit libertas, hilaris & alacris admodum animi sunt adolescentes, prompti ad agendum, expediti, humani, liberales, sodalitii amantes, voluptuosí; obstacula vigore superant; dumque magis magisque perspiciunt, quid & quo fine agant, malitiosi magis sunt, inobedientes, ad perpetranda scelera, vindictam exequendam admodum proni, in agendo cautores, quo finem optatum attingant; præprimis ad explendas carnales concupiscentias mire sagaces; floridus enim hujus ætatis aspectus, genæ roseæ, minæ suaves & delectabiles, mera amoris vincula atque insidiæ esse solent, quas eo minus evitare valet sensibilis hæc & in hisce rebus delicata adeo ætas, quo suaviora minusq; obsoleta hæc veneris tentamina ipsi esse solent. Accedit insuper animus à curis alienus, otiosum vitæ genus, & quæ esse solent Cereris Bacchique litationes, ut adeo Davides, Sensus & cogitationes hominis ad mala pronas esse ab Adolescentia, jure pronunciaverit.

Limises.

Similis æstati  
minus ferrivi-  
dæ.Habitus cor-  
poris.Sanguis Sul-  
phureo Volati-  
lis.Temperamen-  
num.

Pulsus.

Inclinationes  
morales.Voluptates  
Veneræ.

§. 13. Animi denique dotibus satis instructi essent, *Animi dentes*  
 si modo firmior intellectus usus ad pleniorum rei cognitionem eos dederet. Vigent namque memoria, phantasia mire excellunt, res sensibus susceptas promptissime percipiunt; solentque ad differendum aptissimi esse. Capit tamen & sucesive maiores intellectus vires, unde & ad seria magis animum, repudiatis crepundiis puerilibus, applicare solent, & ad roborandum magis judicium, in scientiis *quibus studii imbuendi* demonstrativis & arte Dialectica informari debent; Dentes hinc molares postici, qui sub Adolescentiae finem circiter prorumpere solent, Sapientiae dentes vocantur, quoniam sub eorum progerminatione homo simul sapiens fieri solet. *Dentes Sapientiae.*

## CAP. III.

### De Ætate Vigente.

#### §. I.

**M**edius humanæ vitæ Status, quo machina corporea sumum acquirit vigorem, in eoq; aliquandiu persistit, *Ætas Vigens.* Galeno l. 2. Temper. c. 2. audit ἀκμή. Hæc enim ea est ætas, qua in exornanda machina, acuendis sensibus, largiendo virium labore, vi procreatrice promovenda, natura maximas impedit vires, quo homo, qui sibi soli haec tenus vixerat, aliis quoque vivere incipiat. Extenditur a septenario 3<sup>to</sup> & dimidio ad septenarii septimi finem; adeoque comprehendit pariter septenarios tres cum dimidio; anno namque 49. notabilis jam virium sentitur παρακμὴ, teste Galen. Com. in Aph. 30. L. 3. a quo tempore siccitas successive invalescit, ad extremum usque vite curriculum. Continet hic status sub suo nomine Juventutem, Robur Virile & Consistentem ætam in specie talem. *Limiter.*

§. 2. JUVENTUS tanquam juvandæ Reip. aptissima ætas, *Etymologia.* ob vigorēm tum animi tum corporis, quo pollet, vocatur ἀκμή, vi- *Synonymia.* gens ætas, & in ea constituti ἀκμάζοντες, unde ή τῶν ἀκμαζόντων καὶ μαρίσκων γλυκία florens & juvenilis ætas. Conf. Poll.

On. S. 9. 156. Germ. Jüngling/junger Mann. Incipit à fine adolescentiæ, & finitur quinto septenario, anno nimirū 35. juxta Galen. in Aph. 30. S. 3. & Aph. 9. S. 5. durans per septenarium cum medietate. Peculiaris ætati huic ea potissimum est mutatio, quæ in nutritionis negotio observatur; quando corporis statura, sub Adolescentiæ finem in longum satis protensa, mutata naturæ intentione in crassitiem & substantiam diducitur, ossa firmiora, membra vero robustiora evadunt, unde ad quasvis actiones promptiores validioresque fieri solent. Ætatum omnium calidissima est hæc ætas, ferventi æstati non absimilis, incommidis illis, quæ flagrantis Syrii ardor alias inferre solet, naturaliter subiecta. Ob fibrarum namque muscularium solidam maximeque elasticam texturam, validissime repercutitur sanguis eas transiens, contribuente non parum ad id agiliori vitæ generem. Summe hinc sanguis subtilisatur, crasisque Sulphurea exaltatur, oritur inde complexio modo Cholerica, modo Cholerico-sanguinea; pulsus naturaliter solet esse vehemens, quo sanguis per compactam fibrarum structuram rite propellatur, qui tamen transitus per arctos etsi canales ob summam sanguinis fluxilitatem expeditus admodum esse solet; hinc in actionibus moralibus juvenes pariter sunt vehementes, alacres, veloces, expediti & vigiles, omnis moræ impatiens; impedimenta vigore resarciant, & ad obstacula potissimum, ad periclitandum sui robur famamque aucupandam, intentionem dirigunt, obstinatoque animo propositum prosequuntur; Summe namque sunt ambitiosi, honoris æque ac gloriæ, re præsertim feliciter cedente, cupidissimi, in agendo tamen præcipitantes, turbulenti, minus prudentes; Nullum non nequitias genus juventutem exercet, dum ob intellectus vi-gorem consummata malitia ferocit.

Mores.

§. 3. Vitiis hinc gravissimis ferax est hæc ætas; ad rixas in primis, contentiones, iracundiam admodum propendent, quo habeant, ut pro sua agant intentione; bellicosa ideo ætas vocata; ob audaciam temeritatemque, teste Cicerone, ad superbiam, rapinas, factiones, dissensiones, homicidia, adulteria, furta, fraudes, mendacia, odia, vindictas, prona & præceps est juventus, ut non immerito David à justitia Divina Psalm. 102.

Nutrisio in substantiam partium.

Similes est æstuans æstati.

Fibrae elasticæ.

Sanguis admodum subtilisatur.

Temperamentum.

Pulsus.  
Inclinationes morales.

§. 25. *Flagitaverit, ne sere vocet in medio dierum* & Psalm. 25. §.

7. *ut obliviscatur delictorum juventutis, ipseque Apost. 2. Tim.*

2. §. 22. *Juventutis voluptates utique fugiendas censeat.* Interim ob igneam quasi animi vivacitatem, qua quævis in numerato habent, peculiareque mentis ad quævis penetranda acumen, ad omne studiorum genus essent peregregii, nisi singularis illa in agendo præcipitantia, & in eriendo impatientia, legitimo intellectus usui remoram sane maximam injiceret. *Quamobrem Juvenes inventionis, Senes prudentiæ nomine celebrantur.*

§. 4. *Ætas juvenilem excipiens vocatur Virilis, quo Etymologia, animus pariter ac corpus, organis omnibus ad summum deductis, vites maximas capessere solet.* Vocatur ἡ τὸν ἀρδεῖν Synonymia. οὐλικία, uno verbo ἀρδεῖα. Conf. Poll. On. S. x. 156. Extenditur Remissius Cæ ab anno 35. ad 42. duratque per Septenarium sextum. Ca lens quam juvenes. lore pollent remissiori quam juvenes, quare firmior rectæ rationis usus maturiores Reip. fructus ferendos concedit; hinc Similis autem apprime cum autumni initio comparari solet. Etenim MSea mii initio, in juventute summe exaltata, diu in eodem statu persistere nequit, quin sensim decrescat; calore namque ad summum deducto, plurimum seri halituosi continuo difflatur, restitantib<sup>9</sup> Sanguis pa- crassioribus minusque volatilibus particulis; fit inde sanguinea rumper spissior. Crasis spissior parumper, cum jactura momenti cujusdam pri Fibrae angu- stinæ mobilitatis; accedit insuper fibrarum major soliditas fiores. & angustia. Hisce conditionibus vigentibus circulationem aliquatenus restringantibus, non potest non nimia sanguinis fluxilitas parumper corrigi, ardorque juvenilis defervere, & quæ antea flagraverat Cholerica dispositio, ad Melancholicam quietem successive se componere. Cum itaque in modando sanguinis circulo non ita uno impetu res geri queat, ni crassiusculum sanguinem angustis adeo fibrarum ductibus incuneando, stasin periculosam formare velit, ut singulare cura proportioneque motum exerceat vitalem, necesse est. Hinc in actionibus moralibus consueta juvenum libertas, præ Redouunt ad cipitantia, vehementia &c. evanescunt in viris, ut qui à consuetis Juvenum vitiis ad saniorem redire mentem solent; in gubernandis affectibus, motibusq; libidinosis reprimendis sunt poten-

Temperamen-  
tum.  
Redouunt ad  
saniorum men-  
tem..

*Animi doles  
egregie rigentes.* potentiores, in agendo constantiores; & tametsi à curis non plane alieni sint, eae tamen non in tantum penetrant, ut de- jicere valeant animum, quin potius providum in dirigendis actionibus moderamen Virili ætati conciliant, & ad præmeditata consilia danda applicant. Summo namque judicii vi- gore pollent, & qui vir nondum ad prudentiam devenit, is certe non amplius istius particeps evaderet.

*Est ætas omni-  
um perfectissi-  
ma.*

§. 5. Hoc itaque est tempus, quo ingenii & intellec-  
tus vires maxime vigent. Hæc est ea ætas, quæ conscriben-  
dis cum judicio libris maxime idonea censenda, qua magnæ  
notæ Auctori bus in iis, quæ tunc scripserunt, potior fides  
danda venit. Hi denique sunt illi anni, qui obeundis mu-  
niis Civilibus accommodatissimi; hoc namque tempore omni-  
um rerum plenam perfectionem contigisse verosimile est.  
*Pinguedo col-  
ligitur.* Probatur hoc ex pinguedinis collectione, quando deficiente  
corporis ulteriori augmento, abundans succus nutritius, dum  
caloris ardore non ita consumitur, in peculiares folliculos de-  
ponitur, tandemque diutius inibi restitans, in liquamen o-  
leosum, veramque tandem pinguedinem condensatur. Ori-  
tur hinc familiaris ætati huic corpulentia, quæ sub vivido  
faciei rubore, & vultu majoribus lineamentis barbaque diffu-  
siori insignito, singularem Viris auctoritatem afferre solet.

*Esymologia:*

§. 6. Septenario septimo completo sese sistere solet ætas,  
CONSISTENS vulgo vocata, quoniam vires in præsenti solum-  
modo statu, dum nec augentur nec minuuntur, persistere credun-  
tur; unde Germanorum fünffzig Jahr stille stahn. Revera namq;  
natura in operando stationaria fieri solet; Græcis dicitur κα-  
θεσική ἡλικία, & in ea constituti καθεσικότες juxta Hipp. I. 13.

item μεσίλικες, quoniam sunt medii inter ἀκμάζοντας καὶ γέ-

*Limites ejus.* πορτας; quæ tamen vox à nonnullis quoque virili ætati tribui-  
tur Conf. Melch. Sebiz. Dissert. de Senect. §. 27. Orditur ab

anno 42. terminaturque anno 49, quo tempore pereunte sub-  
ito pristina naturæ in opere nutritionis assiduitate, vires im-  
minuuntur, paulatimque deficiunt, unde & vulnera, fracturæ  
&c. ægrius curantur, notaturque παρακυή declinans ætas à  
Galen. Comment. in Hipp. Aph. 30. S. 3.

*παρακυή  
ingratis.*

§. 7. Ultimus itaque vigor in hac ætate sentitur, *Ultimus vi-*  
*qui ab initio parallelis quidem motibus decurrit; postmo-*  
*dum vero sensim imminuitur, tandemque declinante septimo*  
*septennio relaxari incipit, adeo ut manifesta tandem virium*  
*corporis pariter animique notetur fatiscentia, præsertim quan-*  
*do variis diætæ excessibus præmaturam senectam accelerarunt*  
*juvenes. In sexu potissimum sequiori, lueulento roboris vitalis*  
*jamjam fatiscentis testimonio, nobilissimæ facultatis privatio sub*  
*ætatis hujus calcem sese sistere solet, quando anno circiter 49no,*  
*pereunte sensim naturæ in proprii corporis nutritione indu-*  
*stria, intentio quoque fœtus in utero alendi prorsus suspen-*  
*ditur. Quare facta periodica revolutione, natura mutata* *Sterilitas na-*  
*pristina sanguinis determinatione, superfluam ejus molem non* *turalis,*  
*amplius ut antea versus uterum dirigit, fluorque qui ordina-*  
*rie redire hactenus solebat, in perpetuum subsistit, comite*  
*perpetua quoque ad concipiendum impotentia.*

## C A P. IV. De *Ætate decrescente.*

### §. I.

**U**ltimus vitæ humanæ status vocatur senectus, & in ea viven-  
*tes senes quasi Semineces, semimortui. Græcis γῆρας, ἀπὸ τῶν* *γῆρατος; venerandum enim senium honore est dignissimum, unde γῆρατος. Conf. Poll. On. S. 13. 158.* Et hoc est tempus istud, quo  
*homo appropinquantis mortis amaritiem degustare incipit; hæc*  
*est ea ætas, qua ob ingruentem virium lapsum homo nec*  
*sibi, nec aliis vivere putatur. Extenditur à fine septenarii septi-*  
*mi ad annum 73. cum dimidio, tanquam vitæ terminum*  
*quam maxime legitimum; de quo tamen cum Divina Majestas*  
*admodum dispensare soleat, hoc ipso nullam dare regulam in*  
*animo habeo; incerti namque sunt Senectutis fines, certus vero*  
*omnium etatum terminus. Cicer. de Senect. c. 20. Magnum*  
*enim ad Senectutem retardandam momentum affert, temperans*  
*vitæ genus, decensque affectuum moderamen; quam alias*

*Menses in per-*  
*petuum eman-*  
*nent.*

*Etymologia.*

*Limits.*

*Cause.*

maxime accelerare valent curæ , inquietudines , mœtores , labores continui , indefessa studia , cum noctu dieque iis impallescimus ; præprimis tria illa , amor , vinum , venus . Malitia namque sæpe supplet ætatem ; hæc enim sunt ut plurimum bruta Adolescentum numina , quibus ætatem maculant , his absolvuntur peccata juventutis , unde emoritur calor , & mature consenescit corpus . Dividitur vulgo Senectus naturalis , morbosæ contradistincta , in Crudam , Maturam & Decrepitam .

*Divisio.*

*Etymologia.*  
*Synonymia.*

*Limes.*

*Amoris flammæ extinguitur.*

*Canities obrepit.*

*Nutritio imminuitur.*

*Actiones corporeæ languescent.*

*Sanguis quo ad vigorem decrescit.*

*Temperamentum.*

*Pulsus.*

§. 2. Senectus CRUDA sive VIRIDIS , in qua videntis roboris reliquiae adhuc adsunt , Germ. Das grünende Alter / & in ea viventes Græcis οὐρανόποτες , quoniam obeundis adhuc munis idonei , vocantur . Extenditur per Septenarium octavum ad annum 56 , quo exacto conspicue vires fatiscunt . Contingit in hujus ætatis limine memorata menstrui fluxus mutatio , quo tempore pereunte una concipiendi energia , venustatem pristinam , qua sui amorem antea accenderant , amittunt ; multæ fiunt barbatæ , canitiesq ; primus iste Senectutis nuncius in capite prodire solet ; citius quidem canescunt alii , quod duriori vitæ generi , frigori brumali , curis &c. præsertim vero peculiari Idiosyncrasia tribuendum . V. Eph. N. C. II. 4. p. 134 . II. I. p. 170 .

§. 3. Nutritio interim declinantibus sensim annis segnius succedit , consumpta lente restaurantur ; unde fibræ motrices sicciores , magis rigidæ , minusque elasticæ , relaxatoque subinde tono , flaccidiotes fiunt ; facile proin delassatur corpus , omnium viscerum tum attenuatoriorum , tum secretorio - excretiorum actio imminuitur , ventriculus languidius digerit , secretiones & excretiones plus justo cohibentur , motusque vitalis sub tardiori pulsu minus vivide succedere incipit . Deflectit propterea à pristica indole vitale Nectar , peritque successive tum animi , tum corporis robur & alacritas ; crescit indies sanguinis lento & spissescientia , quæ fibrarum angustiæ & flacciditati juncta , in senibus vi ætatis melancholicam complexionem generare solet . Exigit hæc temperies assiduum & proportionatum pulsus moderamen , quo spissus humor per artas adeo fibras citra obstructionem expedito successu promoteatur , unde pulsus plenus , sed tardus , in fine tamen

tamen efficax esse solet. Continuatur hæc sanguinis propul-  
sio assidua semper æqualitate, firmaque constantia, propor-  
tionato motui directe insistendi; periculum quod negligen-  
tiæ imminet, cuius tamen perpetua adest suspicio, continuo  
ponderans. Quare senes ad omnia circumspecti, pensabun-  
di, suspiciosi, minus securi, atque attenti esse solent. *Inclinationes  
morales.*  
Moderati sunt in omnibus actionibus, laboris, urgente præsertim re, pa-  
tientes, assidui, propositi tenaces, cœptis insistentes, eaque  
alacriter, quantum vires permittunt, ad finem prosequen-  
tes, ne quid novi laboris subinde oriatur; à multis simul  
suscipiendis alieni; in omnibus magis impedimentum  
quam successum suspicantes; taciturnitati incumbunt, ne  
rixa suboriatur, à fraudibus alieni, æquitatis & justitiæ Patroni.  
Ipsæ denique animi dotes, memoria præsertim & phanta-  
sia, invalecente siccitate, notabiles non possunt non incurtere  
defectus. Pollent tamen judicii robore, quod ob providam Se-  
num in agendo circumspectionem, ponderandisq; circumstan-  
tiis patientiam haud exigue nobilitatur. Quare Senes ad præ-  
meditata consilia ferenda, illustriaque Senatus membra repræ-  
sentanda, egregii ceasentur. *Animi dotes.*  
*Magnæ enim Senibus inest a-  
gendi prudentia. Job. c. 12. §. 12. Hinc antiqui melancholiam*  
sedem sapientiæ crediderunt, d. q. *Senec. L. 3. de trang. 15.*  
*Senatores opti-  
mi.*

§. 4. Sequitur SENECTUS MATURA, qua Sene-  
ctutis incomoda manifestius jam ingruere solent. Germ. dici-  
tur das rechte einbrechende Alter; in ea constituti *Yéortes*, vulgo  
*Gränßen*. Durat per Septenarium nonum. Jamjam inva-  
lescunt senilia incomoda; crines ob succi nutritii ingruen-  
tem inopiam canescunt, mox candescunt, tandemque anno  
circiter sexagesimo emoriuntur, calvitiesque obiepere solet;  
dentes insuper in alveolis vacillant, mox vero plane excidunt,  
unde senes edentuli. Tonus interim & elater viscerum fi-  
brarumque magis magisque frangitur; omnes actiones lan-  
guescunt; appetitus imminenter est; masticatio insuper & de-  
bita ciborum comminutio ob dentium & salivaæ defectum,  
digestio vero ob fractas ventriculi vires ægrius peraguntur.  
Chylus hinc nonnisi crudus elaboratur, qui ob relaxatum vi-  
scerum tonum non debite correctus & depuratus, evappi-

*Etymologia.  
Synonymia.*

*Limes.*

*Senilia incom-  
moda augen-  
turo.*

dam jam sanguinis Cras in, ni subsidiis aliunde succurratur, ulterius pervertere solet; quamobrem succus nutritius indies magis degener evadit, marasmumque lente ingruere permittit. Crescit hinc indies virium dejectio; unde ad civilia munia obeunda fiunt ineptiores senes, quibus tria illa levamina, quies nimirum, vita mollior & delicior debentur. Vox ipsam ob imminutum exspirationis robur submissior fit; nec minus sensuum vivacitas ob relaxata organa, dejectaque animæ ad sensationes dijudicandas attentionem paulatim imminuitur; varias incurunt visus eclipses, dum obscuratur modo, modo planior evadit lens oculi crystallina, egent inde senes conspiciliis. Auditus relaxato membranarum acusticarum tono hebetatur, unde senes surdastris; Reliquorum item sensuum acumen paulatim obtunditur. Quæ omnia deficientis energiæ naturæ in nutriendo & conservando corpore genuina sunt consecaria.

*Temperamen-*  
*tum.*

*Natura soli-*  
*citudo ange-*  
*sitr.*

§. 5. Quin & ipsum temperamentum, crescente fibrarum siccitate, sanguinisq; vappescientia, Melancholicum magis redditur. Crescit hinc in natura anxia solicitude ad præoccupandam stasin, crescunt pariter in moralibus curæ, inquietudines &c. nocturna hinc quies, blandus somnus, rarus admodum & charus iis esse solet. Etenim cum ob contrarium expeditæ circulationi sanguinis & fibrarum statum, natura exquisito pulsus moderamini assiduo invigilare, idque ne per momentum quidem e manibus dimittere debeat, fit ut singulari pervicacia finem prosequatur, de eventu interim summe diffidens, levemque & effictam quasi corruptionis ingruentis labem summe reformidans, sub anxia simul solicitudine, quasi sufficientibus subsidiis occurrentæ sat diu corruptioni instruxta non esset. Quare senes in actibus moralibus pariter sunt tenaces, diffidentes, in defendenda opinione pertinaces. Labores expertunt, si modo per vires liceret, ob meram quasi opinionem, se non sufficientibus ad vitæ protogationem, (quam mortem summe horrentes in longum extendunt) mediis instructos esse; proin avaritiæ non raro indulgent, effictisque periculis mire cruciantur; unde impatientes, morosi, tristes, rigorosi observantur; pusillanimes sunt, suspicaces pessima

sima semper ominantes, injuriarum memores & ferme implacabiles. Denique quoad mentis actiones, vigeret quidem adhuc judicium, nisi memorati mores ipsius usum adeo corrumperent. Etenim dum ob continuam eventus sinistri suspicionem mille obstacula fingunt, ad solidam conclusionem vix deveniunt.

### §. 6. Claudit denique miseriarum agmen SENECTUS

DECREPITA, qua vires fractæ aut decrepitæ admodum esse solent; Germ. dicitur das hohe gebrechliche Alter; Latinis vero

*Actiones mentis.*

tabida Senectus, & in ea viventes, Silicernia; Græcis πέμπα-

*Etymologia.*  
*Synonymia.*

λοι, παρὰ τὴν ἐκπέμπεσθαι τὴν εἰς ἀδελφούς πομπὴν, quorum, uti

Gal. L. 5. de tuend. San. c. ult. pompa funeris ad manes du-

cenda; item ἀλίβαττες πάπποι, quasi alteruni pedem in cym-

ba Charontis habentes, vulgo Alte betagte Leuth / unvermö-

gende Leuth. Extenditur ab anno Climacterico magno ad vi-

*Limites.*

tæ finem. Impotentissima hæc ætas, auctis indies Senilibus

*Extremæ Se-*  
*nectus in-*  
*comoda.*

molestiis, ad exsequendas suas functiones esse solet. Summus

adest corporis languor & morbida debilitas, animique ad quæ-

vis fastidium; gressus suos tarde præmeditateque instituunt,

quos tandem nonnisi tremebundos faciunt. Appetitus eorum

insigniter est dejectus, Saliva deficit, hinc ob continuam si-

mul otis siccitatem, victum liquidum mereque humectantem

expetere solent. Marasmus omnibus viribus ingruit; unde

plurimæ rugæ in facie æque ac alibi exsurgunt, exarescunt

membra, venæque lividæ tumidæque sub nigricante cute pro-

minentis miserum sistunt spectaculum, facies pallet; quin &

in subjectis ex sua natura ad extenuationem melancholicam,

in quibus potissimum memorata valent, tendentibus, mam-

*Miseria Smi-*  
*lis.*

mæ plane obliterantur, incurvatur corpus, respiratio fit an-

gusta magis, vox tarda, tremula, exilis, tandem vero rauca

evadir, ob dentium etiam jastram loquela minus expedita esse

solet. Perit successive sensuum acumen, oculi concavi, opaci, cor-

nei præ senectute rigent, visus obscuratur; nihil fere audiunt,

nisi sub gravissimo tonitu. Vivit solummodo senex, ut miser sit,

suisque cogitationibus, querelisque perpetuis calamitates sibi

cumulet, quas exasse depingit Ecclesiastes c. ult. Memoratas ta-

men debilitates eo certius incurruunt Senes, quo impatientioris

sunt indolis, animique, affectibus magis indulgent, & complexionis nativæ vi ad ejusmodi mala dispositi fuere; vividæ namque Senectutis plurima novimus exempla.

*Causa senili-  
um molestia-  
rum.*

*Nature actio  
in decrepita  
estate.*

*Inclinationes  
morales.*

§. 7. Nec est cur B.L. incommoda ista mireris, exspiravit enim maxima ex parte principii vitalis in conservando corpore, durationis suæ termino sat propinquo, solertia; unde invalescit in sanguine corruptio, omniaque in pejus ruunt, vires vitales prosternuntur, sanguisque fæculentus per aridarium fibrarum vix patulos ductus non sine maximo obstructionis metu circulatur. Quid mirandum itaque, si in natura debit is ad agendum subsidiis fere destituta, crescat subinde anxia & desperabunda solicitude. Colligit hinc ad eluctandum omnes, quibus valet, vires; verum, dum præsidiis suis minus fudit, nonnisi sonica mala suspicatur, re prospere cedente non admodum lætatur, latentem fucum nunquam non metuens. Crescit indies animæ mœror, quoties perpendit sibi provinciam istam, quam tanto ardore gubernaverat, brevi derelinquendam esse; metuit solutionem, domicilio & instrumento, quo corpore tanquam machina ad actiones suas perpetrandas utebatur, tunc destituta. Hæc dum mens continuo volvit & revolvit, formatam inde ideam rebus pariter moralibus applicat; Quare senes plerumque decrepiti vi ætatis nonnisi pessima quæque, infidias, fraudes, extremam vim ab aliis inferendam, ominantur. Bonæ spei nihil habent, omniumque actionum eventum cum timore expectant. Pusillanimes sunt in adversa, suspicaces vero in secunda fortuna, veritatemque sibi candide exponi concipere nequeunt. Dumque omnia subsidia ad sui suorumque sustentationem colligenda esse credunt, avaritiæ quandoque supra modum indulgent, iracundi, immisericordes, erga pueros præsertim hilares & vivaces magis, qui contrariae animi dispositionis sunt, observantur. Accidente levi periculo trepidant, sat malorum quibus ferendis se impares credunt, sibi incumbere putantes; diutius vero durante malo, ad desperationem adiunguntur; cuius rei tristes ideas raro in solidum dimitunt; quare somnus ipsis turbulentus, isque rarus esse solet.

§. 8. Denique quoad animi Operationes, judicii vis  
in illis exigua, vix infantilis non raro restitat, præterim si præ-  
maturo judicii acumine dotati, multis lucubrationibus nimium  
quantum istud exercuere, in hisce enim pristinæ insuper me-  
moriæ vix vestigia ut plurimum remanent, dum tamen ob flac-  
cidam, uti in primis ætatibus, cerebri consistentiam, pueri-  
lis ipsis animus redire solet; *quare senes bis pueri.* Habet ta- Solamina Se-  
num.  
men & sua solamina senectus, quod sit malorum portus, vitæ-  
que beatæ initium. Homo enim tot malis fractus, non potest  
non harum misericordiarum pertulsum fieri, majorique nisi ad vitæ  
æternæ contemplationem ferri; cujus ineffabili dulcedine vitæ  
hujus acerbitatem egregie demulcere possunt senes, ut adeo  
quamvis mortem horreant, ejus tamen amaritatem ex fiducia  
vitæ æternæ, breviisque subsecuturi gaudii non adeo degu-  
stant.

§. 9. Etenim imminente naturali vitæ termino, quan- Mors natura-  
lis.  
do Natura absolute quasi penso corporis conservationi non  
amplius fere intenta esse solet, cessat amissorum restauratio,  
perit omnis appetitus, ob sumam virium prostrationem corpus  
contremiscit, caput fit pendulum & motuum corporeorum  
facultas magna ex parte sufflaminatur, spiritum ægre trahunt,  
vox vero perceptibilis vix esse solet; imo vivum quasi repræsen-  
tant Sceleton, veram imminentis mortis imaginem. Nullis am-  
plius curis, nullis cogitationibus instantे vitæ termino anguntur,  
sed omnium rerum, quin proprii fere corporis obliti, terre-  
næ vitæ valedicunt, & quod illius reliquum est, sub conti-  
nuo sopore protrahunt, ut tandem extenuatum hoc corpusculum,  
sub continua mortis expectatione & sibi & amicissimis  
grave existat; donec emorientibus successive membris, placi-  
dus absque dolore ex terrena hac vita discessus semi-putridum  
istud corpus liberet, simulque cum ipso, qui finis omnium ma-  
lorum recte dicitur, omnes ejus miseriæ humo condantur.

## C A P . V.

De

*Annis Climactericis.*

§. I.

*Veterum laus.*

**M**erito laudandam censeo Venerandam Antiquitatem, quæ (dum singularem in perscrutandis abditis, præser-tim si ad præsagiendum, cui arti admodum inhiabat Vetustas) aliquid conferre videbantur, mitam adhibuerat solertiam, constanter observavit, *cercis annis machinam humanam nati-bilioribus, quam reliquis, mutationibus & periculis expositam esse*, quos annos Climactericos vulgo Veteres vocarunt. Flo-ruit hæc annorum fatalitas per plura secula, donec tandem aliquot abhinc ætatibus eorum Auctoritas sensim imminue-retur, nostris vero temporibus, seculo physico-mechanicis operationibus adeò intento, pro mero nimis credulorum, su-perstitionumq; hominum commento arroganter judicaretur, cum nulla spes mechanicæ influentia hanc annorum effica-ciam adscribendi ipsis superesset. Verum cum istud quod constanti Venerandæ Antiquitatis experientia, apud quam pri-sca Sapientia floruit, compertum est, rationibus non sit te-mere evertendum, aut ob admixta forsitan figura & abusum plane damnandum, quo sensu ex hæreseos orco hæc doctri-na sit liberanda, pro tenuitatis meæ viribus tentare cona-bor.

*Etymologia.**Synonymia.**Definissio.*

§. 2. Voci Clima<sup>τ</sup>tericæ etymon deduci videtur *άπο τῆς κλίμακος*, quoniam per varios gradus & scalas quasi tendimus ad perfectionem, Latinis dicuntur anni scansiles, scalares, item decretorii, quia hisce annis speciale quid decernit & exsequi-tur natura, vulgo *Stufen-jahre/wechsel-jahre*. Sunt autem Cli-macterici anni vitæ nostræ septeni quique, quibus notabile quid corpori accidere solet, certarum ætatum & limen & fi-nes. Sic Senec. l. 7. Benef. 1. *Septimus quisque annus ætati si-gnum imprimit*; Septenaria namque periodo ad modum die-rum criticorum mutationes hæ solent ingruere, de quibus supra Cap. I. §. 6. Cumque Veteres in morbis acutis nonum diem pari-

pariter fatalem deprehenderent. *V. Stahl.* *Propempt.* de periculo nonae diei in acut. novenarium numerum in septenarii pariter dignitatem evexerunt. *Sic Augustus Imper.* in epist. Sunt duo, inquit, annorum numeri, septimus & nonus, qui plerumque rerum vita- que immutationem & pericula gravia invehunt. *Conf. Lemn.* de Occult. nat. mirac. c. 32. p. 381. Diviserunt hinc annos Cli- maactericos in ἑβδομαδικὸς καὶ ἑξαδικὸς Septenarios & Nove- narios; cumque ex numero septenario & novenario in se du- eto, multiplicata quasi utriusque fatalitate, annus exsurgat 63. eum Climactericum Magnum vocarunt, quem magnæ con- siderationis esse, raroque absque insigni periculosaque mu- tatione absolvi putarunt, eumque absolute fatalem æstimarunt; *Annuo Climati- ctericus mag- gnus.* hunc qui superaret, illum albæ gallina filium, votis omnibus ac plausibus, ac si singulari periculo defunctus esset, excipiendum, existimantes. *Sic Gellius Noct. Attic. l. 15. c. 7.* Observatum est in multa hominum memoria, expertumque in senibus ple- risque omnibus, sexagesimum tertium vitæ annum cum pericu- lo & clade aliqua venire, aut corporis mortisque gravioris, aut vita interitus, aut animi ægritudinis. Sic, teste eodem, Cæsar Augustus superato 63. anno admodum lætabatur. Periculi qui ex iis por- pariter plenos centuerunt Climactericos minores, an- ro periculosi. annum nimis 49. & 56. quem ultimum Climactericum He- roicum vocarunt, quoniam heroibus aliisque Viris præstantissimi fatalis potissimum comperiebatur. Levioris periculi æstimarunt annos 7. 14. 21. 28. 35. 42.

• §. 3. Veteres in reddenda annorum Climacteriorum *Causa.* ratione in diversum admodum ibant; aliis ad Mysticam, Ca- ballisticamve numeri qua numeri energiam confugientibus, & periculari efficaciz in septenario numero latenti id adscri- bentibus, de quo forsitan alio tempore. Virgineum hunc nu- merum vocarunt Peripatetici, alii perfectissimum, quorum su- perstitiones vid. in Hoffmann. *Dissert. de annis Clima&t.* §. 4. Numerum hunc pariter & antiqua Ecclesia venerabatur, quo- niam in S. Literis ad peculiaria mysteria indigitanda Deus ipse eo utebatur. Hinc ex comixtione Septenarii & Novenarii numeri, velut ex conjunctione 2. planetarum malignorum, ma- lignum pariter anni 63. aspectum, & ex quadrato septenarii nu- meri

*Non numero-  
rum efficacia.*

*Non siderum  
influxus.*

*Nostra hypo-  
thesis.  
Eius funda-  
mentum.*

*Cur quidam  
periculosiores.*

meri 49. hujus quoque anni fatalitatem prognosci putarunt. Sed falluntur utique qui numero qua tali annorum horum energiam adscribere audent; quidnam quæso sunt numeri? quæ occulta vis eis inest, & unde ea, quæ quantitatis efficacia? Probe hoc perspicientes alii, Climacterum energiam ex ipsis pertinet astris, septenariæque planetarum revolutioni, conjunctioni, præprimis septenario Saturni nescio cui recursui ad idem aut contrarium signum, sive quadraturam, indeque pendenti influxui effectum memoratum adscribere non erubescunt. Verum enim vero juxta Wedel. *Physiol. reform. c. 7.* p. 172. Nullum fundamentum ex astris iis favet, quicquid etiam assertores Astrologie faventiores cum Ranzovio statuant; imo contrariatur idem propriis hypothesisibus, sive transitus, sive directiones, sive progressiones, sive revolutiones & quæ alia ad signandos effectus annuos adhibent Astrologi, consideremus. Inania enim & futilia hæc sunt Astrologorum commenta, quasi ex necessitate quadam fatali astrorum virtute viveremus aut moreremur; scire enim libenter cupio, cur ii solummodo, qui in septenaria constituti sunt periodo, influentiæ effectum soli persentificant, cum tamen omnes omnino homines influxui æqualiter expositos esse, fateri ipsimet cogantur. Cur antediluviani adeo longævi evaserint, cum tamen siderum potentia eadem fuerit, & quæ sunt alia. In aliud itaque fundamentum, cui veritas magis favet, merito inquirendum censeo.

§. 4. Cum itaque quotidie mirum naturæ in Oeconomia animali ordinem & in agendo constantiam observemus, mysterii hujus fundamentum in ordinatissima motuum directione unice quærendum esse credimus, ut nimirum natura certis exquisitisque temporum periodis specialissima ex ratione, septenaria præsertim annorum revolutione facta, speciale quid decernat & in ipsum actum ducat, indeque notabilis corpori mutatio obtingat. Mutationes autem has eo periculosiores fore censemus, quo majores, quo subitanæ magis, quo serius ingruunt, corpusque annosum, male dispositum & sensibile offendunt, causæque aliquæ occasionealies, aëris in primis insalubritas, errores diætæ &c. naturam in operando

rando antea turbatunt; tunc enim anni Climacterici funestas ut plurimum tragœdias repræsentare solent. Eo felicioris vero eventus creduntur ejusmodi mutationes, quo maturius in florente adhuc ætate, qua natura vivacior adhuc & in operando constantior existit, Climactericum molimen ingruit. Hinc est, cur priores anni Climacterici pro levioris, posteriores vero pro præsentioris periculi annis æstimentur.

§. 5. Cur itaque annus 63. præ reliquis periculi adeo plenus esse soleat, teste namq<sub>3</sub> Ranzovio de annis Climact. Richter. Axiom. Oecon. p. 41. Adam. Cornuc. P. 3. p. 443. seq.  
*Cur 63. annus periculosis-*  
*mus.*

tot tantorumque nominum fatale tempus notatur, sequens ratio probabiliter militare videtur. Quoniam natura, tot annorum corporis conservatrix, peracto fere labore suo, dum mutationem instantie ultima Senectute subire debet, tot laboribus curisque fractum, elanguidum atq; effœtum corpus non amplius, uti hactenus consueverat, conservare studet; dumque actus vitales per organa inepta redditia operose adeo, sub sequibus nihilominus abjectisque motibus, extremaque corporis miseria exercere ægre fert, corruptioni machinæ corporeæ imminentि debito cum vigore non resistit. Periculum inde impendens multum accelerare valent anxiæ illæ solicitudines, ob imminens vitæ periculum, & quæ sunt vehementiores animi passiones, quæ periculosas nonnisi in sera hac ætate motuum ataxias proritare valent. Annus 49. ex eo videtur fatalis, quoniam est Senectutis limen, quo tempore natura vi destinationis suæ post lapsum segnius operationes vitales exercere incipit, unde corpus sensim marasmo consumitur, & naturaliter mori necesse habet; Fit autem hoc roboris decrementum non raro nimis præcipitanter, improportionate, cum graviorum symptomatum syndrome, craseosq; sanguinis turbatione, in se xu præsertim sequiori, in quo motus ejus per muliebria non sine maxima alteratione subsistere solet; quæ mala, delitescente potissimum jam antea in corpore ad morbos dispositione, natum in agendo occupatam, ad sui quoque dejectionem impellunt, idque frequenter non sine sottico eventu. Patet hinc ratio, cur circa annos Climactericos, quando nimirum notabilior mutatio instat, periculosius & frequentius ægrotemus.

*Cur 49. annus adeo periculo-*  
*sus.*

*tur 56. heroi-  
bus adeo fas-  
tis.* Anni denique 56. ob frequentem heroum stragem periculum  
inde pendere videtur, quod sit Senectæ viridis finis, terminus illorum annorum, quibus vivaces & ad munia ex voto ex-  
sequenda idonei esse solemus. Heroes autem sunt comple-  
xionis ut plurimum cholericæ, activæ quam maxime, simul  
tamen impatientis indolis, præsertim quando intentionis  
cursus retardatur; malunt perire, quam sine gloria desidem,  
& ut putant, turpem degere vitam. Hæc ipsorum idea quam  
animo perpetuo volunt efficit, ut instantे Senectute vera,  
dum ad explendam sui intentionem ob ingruentes impoten-  
tias fiunt inhabiles heroes, natura tædio inde affecta, malit præ  
otioso vitæ genere maturæ, & uti loquuntur, honestæ morti cor-  
pus exponere, idque ab infimis humanæ vitæ miseriis hoc modo  
liberare. Quo multum contribuere valet tædium præsertim &  
impatientia inde concepta, unde turbatis actibus vitalibus sanguis  
eorum ad dissolutionem sui pronissimus, deficiente simul de-  
bita naturæ alio intentæ energia, magnam corruptionis la-  
bem subire solet, quam dum subito absque proportione  
corrigeret satagit, oritur quandoque febris ardentissima, cum  
fatali non raro tot heroum exitu.

*Quo sensu an-  
ni Climacteri-  
ci admittendi.*

§. 6. Manet itaque Veteribus sua laus, manet penes Climactericos  
annos efficacia, non quidem annorum numero, aut influxui astrali, sed  
potius primario & efficienter exquisitissimo naturæ in agendo ordini,  
constantissimis insuper & æqualibus ejus motibus unice adscribenda, quæ  
mutationes periodicæ accidentaliter solummodo in annos Climactericos  
solent incidere. Inconclusa namque experientia habemus, corpus  
humanum circa Climactericos annos, dentitionis, pubertatis &c. tempus  
maxime ad morbos dispositum esse, variisq; affectibus plus quam alias  
torqueri. Superstitioni interim minime patrocinamur, quin potius  
quoscunq; refellimus, qui vel in numero necessariâ fatalitatem querunt,  
vel ipsum annorum numerum in casus fortunæ aut infortunii jus ali-  
quod habere asserunt, casusque fortuitos accidentarios, à summi in-  
tus agentis direktione non dependentes, uti sunt incendia, insidiae, vi-  
tae pericula, damna, accusations, incarcerations, contumeliae, vulnera,  
itinera, divitiae, recreations, matrimonium &c. energiæ annorum Clim-  
actericorum (uti fecit Levin. Lemn. de Mirac. occult. nat. l. 2. c. 32.) adscribe-  
re non verentur, quæ potius providentiae aut permissionis Divinæ  
meri & certissimi effectus esse solent.